

**Maret, Adrien - candidat / Sue, Pierre -
président. - An calculi vesicae
extractio sit aliquando procrastinanda
?**

1776.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°29***

AN CALCULI
VESICÆ EXTRACTIO

SIT ALIQUANDO PROCRASTINANDA ?

T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ ;

*QUAS, DEO JUVANTE, & Præside M. PETRO SUE
juniore, Collegii antiquo Præposito, Academia
Regiæ Chirurgiæ Consiliario, in Generali Parisiensi
Præfecturâ Chirurgo ordinario, antiquo in Scholis
præcticis Anatomia & Chirurgiæ Professore, Acade-
miarum Monspelliensis, Rothomagensis, & Divio-
nensis Socio, tueri conabitur ADRIANUS MARET
Divionensis, in almâ Univerfitate Parisiensi Artium
liberalium Magister, Theseos Auâtor.*

P A R I S I I S,

I N R E G I I S C H I R U R G O R U M S C H O L I S.

*Die Sabbati 26^a mensis Octobris, anno 1776, à sesqui-
secundâ post meridiem ad septimam.*

P R O A C T U P U B L I C O

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXVI.





D. O. M.

T H E S E S

ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

PRÆSENS & certa ut calculoso medela afferatur, vesicæ à calculo liberandæ generalis indicatio omnibus evidentissima statim observatur. Idem verò non sentiendum de istâ peculiari quâ proprius extrahendi calculi modus discernitur, tutiorque quam in operando tenere debeat lithotomus, determinatur ratio. Hanc enim statuere solius est artem rectè profitentis. Quot instituendæ lithotomiæ methodi fuerint excogitatæ, quibusnam primæ deferantur, hîc omittere juvat, cum de *Extractione* calculi, factâ priùs vesicâ, aliquandò procrastinandâ, in hocce programme tantummodò agatur. Quod verò tum anatomes præviâ face, tum veterum recentiorumque doctrinâ simul & experienciâ comprobandum.

A ij

EX ANATOMIA.

Vesica urinaria, musculo-membranacei ad instar, inferiori nec non anticâ hypogastrici regione, extrâ peritonæum & commune abdominis cavum, imâ pelvi reposita, ponè pubis ossa delitescit in adultis, dùm in pueris magis prominet; intestino recto, in viris, paulò sinistrorsum; in feminis, vaginæ insidet. Quodquidem lotii receptaculum inæqualiter ovatum, capacius deorsum, sursum angustius, variam pro variis sexûs, ætatis, vel idiopathicæ affectionis conditionibus, nonnunquam exhibet formam.

Vesicæ tribui solent corpus, duplexque fundus, cujus ob situm, superior alter, alter inferior nominatim designantur. Hic verò in duas dividitur partes, quarum postica latior, *infimus vesicæ fundus*, antica arctior, *cervix* nuncupatur.

Pluribus ligamentis stabilis fit vesicæ situs, quorum antica duo, ab interiori pube juxtâ symphusim nata, in prostatam reflectuntur. Superius unum, lateralibus & supernâ vesicæ regionibus oriundum, umbilicoque tenùs protensum, ipsi connectitur. Posterius denique, transversâ quâdam peritonæi replicatione, sed, vacuâ vel contractâ vesicâ, tantùm evidenti, adumbratur. Multiplices in vesicâ tunicas licèt plerique admittant anatomici, cuilibet tamen sedulò intuenti, musculosam aut externam, villosamque vel aptiùs internam, interstrato cellulari textu disjunctam utramque, solummodò deprehendere pronum est.

Musculosâ vel externâ tunicâ figuratur reticulum innumeris contextum fibris huc & illuc mutuò decussatis, quæ non modò superficiem visceris pererrant, sed ipsius intimam quoque substantiam plus minusve subeunt. In inferiori verò tantùm & posteriori organi parte, juxtâ hujusce longitudinem, eadem adamussim ordinatæ, ad prostatam, cervicem, anterioraque ligamenta concurrunt. At omnimodarum farragine fibrarum in cer-

vicem præfertim congestâ , musculosus atque solidissimus perficitur implexus , cujus volutata propemodùm compositio *Sphincteris* nomine à quibusdam, licet falsò, vocitatur.

Subter reticulum modò delineatum patet cellulosæ telæ stratum, sanguiferis vasis copiosè disseminatum, cui subjecta interior tunica, etsi malè, *villosa* dicitur. Ista quidem admodùm porosa, multoque mucò intùs inuncta, ut acriorum lotii salium hebetentur aculeoli, intimam versùs vesicam musculosis intruditur fibris, quibus etiam plus minusve prominentibus & contracto viscere potissimùm sensilibus obtecta, rugis intrà sulcatur. Quinimò, quasi insculptæ in aliquot vesicis (*columnatis* idè dictis) adèd videntur istæ rugæ, ut internarum dextræ cordis auriculæ fibrarum projecturam assimilent; undè illud vesicarum genus vacantibus quandoquè recessibus excavatur. Præterèa quosdam in iisdem patulos numerososque loculos communi eorum cavo prospicientes, haud rarum est animadvertere. Hi autem loculi casulas calculis hospiales non-nunquàm præbent.

Tria in vesicâ patefcunt orificia : quorum scilicet inferiora simul & posteriora duo ex oscitantibus ureterum extremis constant ; unicum verò antrorsùm & infrà situm, urethræ supeditat initium. Hisce tribus interjacet ostiolis trigonalis substantia quadam lubricâ lævitate, densiori texturâ, mollioriquè sensu prædita, à genuinis organi tunicis profùs aliena, & à celeberrimo *Lieutaud Trigonus* appellata. Cujusquidem ea est ad infimam visceris partem appositio, ut anterior angulus urethræ ostiolo insitus, in conglobatum tuberculum, ab eodem auctore *uvulam vesicariam* nuncupatum, abeat ; dùm posteriores, unà cum basi inter ureteres limitatâ hos ultrà tantillùm in aciem extenuati, sensim evanescent.

Glandula nomine *proflata* ossa pubis inter & intestinum rectum collocata, urethræ principium vesicæ cervici continuum strictè complectitur. Quæquidem compactior intùs permultis comperitur interfita folliculis, quorum excretoriis ductibus, circâ basim cujus-

dam partis eminulæ *Verumontanum* dictæ oscitantibus, urethra obliquè trajecta stillatio mucò illinitur.

Arteriosa, venosa, nerveaque vasa vesicam & partes ipsi conterminas perreptant: arteriæ veniunt ab hypogastricis & aliis: copiosiori venarum turbâ ad hypogastricam venam sanguis revehitur: nervi à paribus sacris, à plexu mesenterico inferiori, atque etiam à cruralibus originem ducunt. Vasa lymphatica, sed pauciora, in vesicâ possunt nonnunquàm detegi.

De anatomîâ satis hæc sunt; jam verò ad Chirurgiam deveniamus.

EX CHIRURGIA.

Varios inter de lithotomiâ scriptores, primus necessariam quandoquè in extrahendo calculo procrastinationem *Celsus* adnotasse videtur (a). Quam quidem in hæmorrhagiâ manifestò præcepit *Albucaſis* (b): propriâ verò edoctus experienciâ *Franco*, solam vesicæ sectionem primùm instituendam, & calculi *Extractionis* moras in suppuratum vulnus prorogandas luculenter expo-

(a) At si plures calculi sunt, singuli protrahi debent; sic tamen, ut, si quis exiguus supererit, potius relinquatur; Siquidem in vesicâ difficulter invenitur, inventusque celeriter effugit. Ita longâ inquisitione vesica læditur, excitatque inflammationes mortiferas; adeò ut quidam non secti, cum diù frustra per digitos vesica esset agitata, decesserint. Quibus accedit etiam, quod exiguus calculus, ad plagam urinâ postea promovente, excidit. *Cels. lib. 7.º. cap. 26 de signis calculorum, vel arenosorum, vel mollium.*

(b) Quod si vincit te fluxus sanguinis, & scis quod expulsio sanguinis est ex arteriâ quæ incisa est: tunc pone pulverem super locum, & stringe cum pulvillis stricturâ decenti: & non mutes illud: & dimitte lapidem, & non extrahas ipsum; fortassè enim morietur mulier infirma. Deindè cura vulnus. Cum ergò sedatur acuitas sanguinis postdies, & putrescit locus, tunc redi ad operationem tuam, donec egrediatur lapis. *Chir. Albuç. part. 2.ª cap. 61 de extractione lapidis mulierum.*

fuit (a). Statutam, & non infaustè pluries usurpatam à *Franco* methodum peritissimi prædicarunt, & feliciùs etiam non semel adhibuerunt superioris ætatis lithotomi (b); quorum auctoritate freti, & altiori theoretice certissimâque simul experientiâ ducti recentiores (c), quàm utile, quàm necessarium esset in desuetudinem ferè abeuntes priorum doctrinam & praxim renovare, imò, utriusque propagando limites, quasi innovare brevi senserunt. È neotericis D. *Maret* (d), patruus carissimus, Divionensis nosocomii nuperrimè Chirurgus primarius, de calculi exemptione, inter lithotomiam, commodiùs procrastinandâ, utilissimè differuit (e).

Luminibus ab opere Divionensi mutuatis illustrati, quot & quibusnam in casibus laudata methodus antecellat, tum teoriâ, tum praxi in dicandum à nobis est. Sequentes verò, lucidioris ordinis

(a) ... « Ayant fait l'incision, comme a été dit, on pourra mettre une tente, si l'on veut, telle qu'avons enseigné ci-devant, afin d'empêcher la glutination & coagulation du sang, n'étant besoin de rien tenter après la pierre pour cette fois, si d'aventure ne se presentoit d'elle-même à la plaie. Après quelques jours, quand, &c. Si la pierre se presentoit à la plaie, comme le plus souvent fait, ainsi qu'ai par plusieurs fois expérimenté, faudra la tirer suivant la manière exposée. & bien souvent ai trouvé que en changeant le premier appareil, ou après, que la pierre qui étoit demeurée, étoit sortie du tout dehors d'elle-même. Quelquefois je pensois être résolu qu'il n'y en avoit plus (de pierres), néanmoins au bout de quelques jours, j'expérimentois le contraire. Voyant cela, j'étois contraint pour mon honneur & devoir de la tirer; ce que je faisois plus aisément que à la première fois, & sans grande douleur au patient ». *Traité des hernies par Pierre Franco, chap. 33.*

(b) *Covillard — Colot — Tolet.*

(c) Céléb. *Delafaye*, remarques sur *Dionis*, page 254. — *Ledran — Heister — Pallucci*,

(d) Vid. *Mém. de l'Acad. de Dijon, tom. I, pag. 95.*

(e) In publico Regiæ Academiæ confesso anni 1770, egregium de hujusce Theſeos argumento commentarium legit celeb. *M. Louis*. De hoc verò plura dicere per nos non licet, cum in lucem nondum opus ediderit Auctor.

causâ, classes opportuniùs distinguendâ, cùm in iis ferè solis *extrac-*
tionis calculi procrastinatio sit absolutè necessaria, & hæc sunt.

- 1°. *Perinæi morbi.*
- 2°. *Vesicæ affections.*
- 3°. *Calculorum differentia, & numerus.*
- 4°. *Denique, accidentia lithotomiam quandoquè concomitantia.*

Quibus juxtâ theoriam sigillatim & breviter explanatis, nonnulla instauratæ methodi in notis accedent exempla.

1°. *Perinæi morbi.* } Annosâ admodum & callosâ cicatricibus vel fistulis perinæum interdum obdurari, infarctam quoque prostatam in scirrhum nonnunquam obtumescere, testatur experientia. Istâ autem morbosâ conditione perpetratæ sectionis orâ partesque ipsi conterminæ rigidiores factæ, extensioni vel divaricationi tunc desideratæ difficiliùs, imò neutiquam ferriunt (a). Hinc, illius obicis superandi causâ, ægrotanti nociva, aut saltem inania lithotomi tentamina primùm evadere queunt. Si verò *extractio* prudentiùs procrastinetur, in prosperos eventus impedimenta vertet ultrò natura: suppurato enim vulnere, mollescent dura, & concreta liquefient; undè relictus primùm calculus sequacior tandem facili educetur viâ (b).

(a) Celeb. Moreau nos fecit participes difficilioris *extractionis* apud calculosos iterum sectos, respectu cicatricis, pro variâ methodo jam primùm adhibitâ, plus minusve rigidioris.

(b) D. Maret in exemplum adducit calculosum quemdam septuagenarium scirrhosâ prostatâ affectum; cujus sectâ priùs vesicâ, calculi *extractionem*, etiam ad tertiam usque hebdomadam, lithotomus quàm felicissimè distulit. Vid. *Mém. de l'Acad. de Dijon. Loco cit.*

2°. *Vesicæ*

2°. *Vesica* } Diurnos inter & diros cruciatus vesica calculo
affectiones. } laborans si inflammetur aliquoties & exulceretur,
 crebrâque contractione frequentius densetur & in-
 durefcatur, quid mirum? Lethalium etiam adnascens symptomatum
 soboles, eò, licet rariùs, accrescit, ut vel fungis pullulantibus, vel
 mucosâ, purulentâ, sanguinolentâque colluvie viscus urinarium
 infestetur. Quisquis autem sit horumce malorum fons & fomes,
 quando lithotomia celebratur, procrastinationem hîc omninò ne-
 cessariam autumamus. Absit tamen ut, in iis nec-non cæteris casu-
 bus, calculi exemptionem moderatè aggrediendam abnuamus;
 quæ verò tentamina si ceciderint irrita, tunc prudens ab incæpto
 desistat lithotomus, & iterati exulent forcipum incurfus, quibus
 semper ingravescent symptomata, mortiferisque sæpe sæpiùs
 lacessita vesica conficitur inflammationibus. Remissis ergo
 tentaminibus, molliter subsequenda de sanguine spontè deri-
 vanti suppuratio, quidquid inflammatum leniendo, quidquid
 induratum emolliendo, vulneris oras *extraëtion*i habiliores accom-
 modabit. Quin immò, agnati humores & urina procliviùs
 per plagam emanabunt: undè aditus patefiet injectionibus,
 quibus malorum familiam unâ cum calculo sævientem non
 solùm permulceri, verùm etiam aliquatenùs extinguere con-
 tingat.

Nunc calculosæ, sed ab enumeratis affectionibus prorsùs
 liberæ, vesicæ, inter lithotomiam, statum perpendamus. Cui-
 cunque enim instrumentorum effectus consideranti præstantior ac
 tutior prodibit obviâ procrastinatio, quoties operosius extra-
 hendi calculi negotium incumbet.

Vesicæ cervicem & prostaticam, non secùs ac utriusque inte-
 gumenta trajecto scalpro, major minorve, secta quoad vasa,
 sanguinis copia emittitur. Porro, si vesica & vulneris oræ,
 sæpiùs introductâ volsellâ, aut incautâ in calculo vehementius
 evellendo pertinaciâ adhibitâ, non fuerint defatigatæ, & con-

fequenter quàm prosperè si cesserit extractio, tunc per oscitantia sectorum orificia vasorum jam fugaciori sanguine, mox verò sensim ac sine sensu non invitè coercito, simplicis tandem ac leviter inflammati vulnetis specimen geret partium incisio; quæ quidem, modicâ boni puris scaturigine suboriente citiùs absterfa, apprimè coalescet. Si è contrario crebriùs intruso forcipe conflictata, contusa, distractave fuerint mollius in dolore viscus atque sectionis oræ, tunc vasorum suggillatione nec-non corrugatione per-utilis præpeditur sanguinis egestus: proindè gravior ardet inflammatio, tamque præcipiti grassatur sævitiâ, ut obsessas partes gangræna ferox aliquoties irrumpat & devastet. Has redactus ad angustias, ineluctabili ut plurimùm malî impetu in tumulum æger brevi proruitur. Felicissimus autem tot & tantis periculis emersus si super-vixerit, vel urinariâ fistulâ, vel lotii incontinentiâ forsitàn in posterùm afficietur. Tam improba veluti simplicis adfuturi vulneris laceratio ac distensio, causas inter, tum aptè coalendis oris, tum vesicæ cervicis elaterio noxias, sanè potest recenseri.

Huc insuper adjicias vesicæ tantam sensûs & irritabilitatis esse vim insitam, ut alieno quovis & acerbo diutiùs percita stimulo, spasmodicis subitò motibus horrescat, acerrimisque vexetur doloribus. Pars autem doloris impatientior, nempè *trigonus*, irritanti forcipis actioni, inter operandum, præcipuè subjicitur. Quandiù ideò intensior eadem actio perstat, viscus vehementi corripitur spasmò, quo nonnunquàm sectionis hiatus ità coangustatur, ut forcipem unâ cum calculo constrictum & reluctantem aliquoties persensisse quidam fateantur lithotomi. Aliâs spasmodicâ quâdam vesicæ tunicarum replicatione obvolutus reperitur calculus. Cæterùm, apud lithotomos in confesso est, etiamfi calculi volumen multùm exsuperet sectionis diameter, simplici & genuinâ organi irritabilitate, vel scalpello vel modicis sollicitatâ tentaminibus, eam vulneris excitari coarctationem, quæ

aliquantò , inter *extractionem* , renixu fiat explorata. Cujus phænomeni , ex analogicis tum vesicæ , tum uteri structurâ & vi organicâ , ratio probabilis exsurgit.

His ritè animadversis , in quot & quanta projiceret ægrum discrimina quisquís , pertinaciori molimine , spasmm vulnus contrahentem , totumque viscus exasperantem temerè fovèret , profectò nemini latet. Istâ enim coarctatione spasmicâ oriundum obicem si evulsus tandem calculus eluctetur , non vulneris orâ tantùm vehementiùs dilacerari possunt , sed vesica lethali etiam irritatione offendi potest. Universo nervorum systemate indè concusso , tota crebris subsultibus aliquandò labefactatur machina , ipsiusque functiones penitùs disturbantur. Quæcumque sint , graviora certè visceri prædictis jam vitiato morbis impendere mala nemo inficiabitur ; undè evidentissimè calculi extractionis procrastinandæ , in vesicæ sicut & perinæi morbis , elucent ratio ac necessitas.

3^o. *Calculorum* } Quamvis unicus in vesicâ sapissimè conti-
differentiæ , & } neatur calculus , haud infrequenter tamen
numerus. } multiplex , nec-non volumine , figurâ , &
} soliditate dissimilis concrescit. Præterèa qui-
libet non semper in viscere solutus errat , sed interdùm ibi modò tantùm adhæret , modò distinctis & vesicariis incarceratur casulis , quibus , vel totus ceu tunicâ , vel partim ceu palâ , variam indè sortitus denominationem , includitur.

Hic verò primùm , de solitario putà calculo , quæpiam subjiciantur argumenta. Scilicet , si , quantum potis est , certior lithotomus , calculi volumen sectionis diametro , habitâ duntaxat spasmi ferè individui ratione , sic impar æstimaverit , ut methodicis tentaminibus calculus extemplò nequeat educi , procrastinare certè tunc fatiùs erit , quam ægrotum torquere , & exitiosum

sectis partibus laniatum intentare (a). Multò magis præstat; tametsi angustior reverà fuerit incisio, resecandam eam, seu adaugendam in suppurationis tempus differre (b); eadem procrastinatio, tùm aculeari scabro, tùm minimi tenuitate calculi exploratis prænuntiatur oppidò desideranda; quippè quod, in priori casu per extractionem dolor & spasmus invalescunt; in posteriori verò, iterùm atque iterùm frustrata reposcitur inquisitio (c). At, inquires, relicto in vesicâ calculo, pristina itidem perpetuantur tormenta. Minimè quidem; attendas enim ista tantùm ideò vigescere, quod, ante sectionem calculo singulis mictibus in visceris cervicem impacto, hæc acriùs acerbetur, ægriùsque lotium egeratur. Porro, quâ datâ portâ præceps fuit urina; cujus mordaci & crebrâ cupiditate statim restinctâ, ægrotus blando gaudet levamine. Imò difficiliori urinarum, priùs frequentior provocata, nunc autem liberiori earumdem egestu, quasi suspensa sistitur vis vesicæ contractilis; adeòque tam incitus & noxius calculi motus valdè compescitur. Præterèa emollientibus & mucosis injectionibus intimum viscus inunctum contactûs calculi tunc patientiùs redditur, & jam pridem tolerati dolores abstergantur. Interim verò nuperrimè cruentum vulnus mox in suppuratum abit. Hinc scilicet pure rorantibus simul & laxioribus

(a) Vid. *Pallucci, la lithotomie nouvellement perfectionnée, observ. 1.*

(b) Duas observationes procrastinationi faventes, in casu de quo agitur, legimus in dissertatione D. *Maret.* Vid. *op. cit.*

(c) Quandoque fit ut calculus vel mediocris, vel etiam crassus longè subducatur inquisitioni. Calculosum juvenem, sectâ jam vesicâ, & nequicquam investigato calculo, remissum in lecto recumbere iussit lithotomus quidam; mox quinque diebus elapsis, crassi duo calculi ferè temporis puncto fuerunt extracti. *Planque bibliothèque choisie de Médecine, tom. 10, pag. 743. Observ. Cl. Dumont fil. Bruxellarum Chirurghi, ann. 1758.*

ejusdem oris multòque subindè divaricatu facilioribus , ampliùs idcirco forcipibus & calculo pervium iter naturâ panditur. Huc accedit quod , eodem temporis momento , non rarò vulneris ori calculus oblatu lithotomo minimùm importet negotii ; cùm tenuissimus ipse vel frustitatus , urinâ aut injectionibus ut plurimùm everratur.

Nonnunquàm ità fragilis occurrit calculus , ut volsellâ compressus facillè disrumpatur , idèdque multiplicem simulet. Omnia inter rationum momenta in procrastinationis decernendâ gratiam hætenùs allegata , principatum tenere videntur multiplices calculi. Quid reverâ prudentius , quid salubrius quàm plurium fragmentorum calculorumve *extraCTIONem* , difficultatis & periculi in posterùm profus immunem futuram , procrastinare ; cùm præsertim gravatæ vesicæ protinùs ex toto liberandæ pervicacior lithotomus , ægroti vitam in discrimen adducat. Quoties eheu ! Fatalis istius nec nimiùm insolentis methodi exitus fuit deplorandus ! Quisquis è contrâ à tritâ moris viâ , è re natâ , peritus despectendi lithotomus nunquamnon timuit , procrastinatione sagaciter prælatâ , constantes & prosperos semper obtinuit eventus (a).

Adhærentes tunicatosve calculos continuò extrahere , ratione periculi , non ferè penes lithotomum. Etiam si autem ex peculiari casu eorum expediendorum spes quædam affulgeret , cunctari tamen etiam tunc commodiùs arbitramur , dùm spasticæ conditioni vesicæ priùs emollitæ suppuratio successerit , ut , sive tunica , sive adhæioni amoliendis aptissima interim admoveere remedia minùs arduum fiat & damnosum (b).

(a) F. Colot , *Traité de l'opération de la taille* , pag. 174. — D. Maret , *op. cit.* — D. Lamarque junior , *Chirurgici apud Tolosam Collegii præpositus*. Opusculo cui titulus : *opération latérale*.

(b) Ledran , *Traité des opérations de Chirurgie* , pag. 275.

4°. *Accidentia lithotomiam quandoquæ concomitantia.* } Hæmorrhagia (a), prostratæ vires (b), totiusque œconomix animalis convulsio (c), aut saltem spasmodici morus (d), conjunctim modò, modò disjunctim lithotomiam aliquandò concomitantur. In iis autem casibus luce clarior eminet procrastinationis præstantia. Quam quidem variis confirmandi argumentis hîc supervacaneum & profus inutile judicamus. Cùm igitur ex huc usque prolatis rationibus, lithotomorum scriptis experienciâque sancitis, jam satis liquidò pateat *extractionem*, pro quibusdam tum perinæi, tum vesicæ morbis, pro calculorum & differentiis & numero, pro accidentibus denique non-nunquàm esse procrastinandam, hanc enodatæ quæstioni conclusionem fas est apponere :

Ergo vesicæ calculi extractio est aliquandò procrastinanda.

(a) Covillard, *observ. iatro-chirurgiques*, pag. 31. — Tolet, *Traité de la lithotomie*, chap. 21.

(b) Colot, *op. cit.*, pag. 182, de *l'opération faite en deux temps*.

(c) Heister, *inst. Chir. part. 2^a de lithotomiâ cum majori apparatu*.

(d) Spasticus calculosi habitus sanè annumerandus est causis quæ calculi extractionis procrastinandæ necessitatem manifestiùs prædicant. Quod argumentis paragraphi 2. sat demonstrari videtur. Vid. pag. 10 programmatiss.

F I N I S.